

**www.e-rara.ch**

**M. T. Ciceronis Epistolarvm Volvmen, Earvm Qvæ Familiæres Olim  
dictæ, nunc rectius Ad Familiares appellantur ... Accesservnt, Post  
Præfationem, ...**

**Cicero, Marcus Tullius**

**Avgvstæ Mvnatianæ, M D C XX**

**Zentralbibliothek Zürich**

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-142564>

Ciceronis epistolarum ad Cassium, & alios, liber XII.

---

**www.e-rara.ch**

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

---

**Nutzungsbedingungen** Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelnformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

**Terms of Use** This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

**Conditions d'utilisation** Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

**Condizioni di utilizzo** Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

NOVO NOVO NOVO NOVO NOVO NOVO NOVO NOVO NOVO NOVO  
NOVO NOVO NOVO NOVO NOVO NOVO NOVO NOVO NOVO NOVO

CICERONIS EPI-  
STOLARVM AD CAS-  
sium, & alios,

LIBER XII.

ARGVMENTVM.

*Queritur, tyranno occiso, tyrannidem tamen non esse sublatam: Cassiumq; hortatur ut unà cum M. Bruto, eius uxoris fratre, omni perturbatione tempus liberet.*

Hortatoria.

Cicero s. D. C. Cassio.



INEM nullum facio, mihi crede, Cassi de te, & de Bruto nostro, id est de tota rep. cogitandi, cuius omnis spes in vobis est, & in D. Bruto: quam quidem iam habeo

*a* Vide epi. 14. lib. 9.  
*b* Philip. 1.

*c* Quod ab infima plebe bonis viris impeditur.

ipse meliorem, rep. à Dolabella meo præclarissimè gesta, *b* Manabat enim illud malum vrbantum, & ita corroborabatur quotidie, vt ego quidem & vbi & otio diffiderem vrbano: sed ita compressum est, vt mihi videamur omne iam ad tempus, ab illo duntaxat *c* sordidissimo periculo, tuti futuri. Reliqua magna sunt, & multa, sed posita omnia sunt in vobis: quam primùm quidque explicemus. Nam, vt adhuc

adhuc quidem actum est, non regno, sed rege liberati videmur. interfecto enim rege, regios omnes a nutus tuemur: neque verò id solùm, sed etiam, quæ ipse ille, si viveret, non faceret, ea nos, quasi cogitata ab illo, probamus. Nec eius quidem rei finem video. tabulæ figuntur, b immunitates dantur, pecuniæ maximæ describuntur, exules reducuntur, S. C. falsa referuntur: ut tantummodo odium illud hominis impuri & seruitutis dolor depulsus esse videatur: resp. iacet in ii perturbationibus, in quas eam ille coniecit. Hæc omnia vobis sunt expedienda: nec hoc cogitandum satis iam habere remp. à vobis. habet illa quidem tantum, quantum nunquam mihi in mentem venit optare: sed contenta non est, & pro magnitudine & animi & beneficii vestri à vobis magna desiderat. Adhuc vltia suas iniurias est per vos interitu tyranni: nihil amplius: ornamenta verò sua quæ recuperavit? an, quòd ei mortuo paret, quem viuum ferre non poterat? cuius c æra refrigerare debebamus, eius etiam chirographa defendimus? at enim ita decreuimus, fecimus id quidem temporibus cedentes, quæ valent in repub. plurimum: sed immoderate d quidam & ingratiè nostra facilitate abutuntur. Verùm hæc propediem & multa alia coram. interim velim sic tibi persuadeas, mihi cum reip. quam semper habui carissimam, tum amoris nostri causa, maximæ curæ esse tuam dignitatem. Da operam ut valeas.

ARG. Inuehitur in M. Antonij tyrannicam potentiam: reip. statum describit.

a Quæ se facturis, leuiter, & vix significauit.

b Hæc omnia quum faceret consul Antonius, in comitiariis Caesaris ab eo scripta fingebat.

c Continens pro contento. nam arent tabulis leges incidebantur. vide librū nostrum de legibus

d Consul Antonius, cui scriba Caesaris Taberius obsequabatur. App. l. 3. de bel. civ.

**V**EHEMENTER laetor tibi probari sententiam & orationem meam. qua si sapius uti  
*a* Si liceret in a liceret, nihil esset negotii, libertatem, & remp.  
*Senatu liberè* recuperare. sed homo amens & perditus, mul-  
*loqui. ep. 2. l. 10.* toque nequior quàm ille ipse, quem tu nequis-  
 simum occisum esse dixisti, cædis initium quæ-  
*b* Philip. 2. rit: nullamque aliam ob causam me *b* auto-  
 rem fuisse Cæsaris interficiendi criminatur, nisi  
 ut in me veterani incitentur. quod ego pericu-  
 lum non extimesco, modò facti vestri gloriam  
 cum mea laude communicet. Ita nec *c* Pisoni,  
*c* Cuius filia qui in eum primus inuectus est, nullo assen-  
*Calpurnia. C.* tiente, nec mihi, qui idem tricesimo post die fe-  
*Cæsari nupse-* ci, nec P. Serulio, qui me est consequutus, tutò  
*rao.* in senatum venire licet. eadem enim gladiator  
*d* Metelli Sci- quærit, eiusque initium ad 13. cal. Octob. à me  
*pionis, qui fue-* se facturum putavit. At quàm paratus venerat,  
*rat socer Pom-* quum in villa *d* Metelli complures dies com-  
*pey. ep. 8. l. 8.* mentatus esset. quæ autem in iustis & in vino  
*e* Philip. 2. commentatio potuit esse? itaque omnibus est  
*e* Me, Pisonem, visus, ut ad te antea scripsi, suo more *e* vome-  
*Serulium.* re, non dicere. Quare quòd scribis te confidere,  
*g* Lepidus intel autoritate & eloquentia nostra aliquid profici  
*ligit: cuius filio* posse: nonnihil, ut in tantis malis, est profe-  
*stia suam. An-* ctum. intelligit enim populus R. *f* tres esse  
*tonius colloca-* consulares, qui, quia, quæ de repub. bene sense-  
*rat. Dio l. 44.* rint, liberè loquuti sunt, tutò in senatum venire  
*h* Non Quinti, non possint. nec est præterea quòd quicquam  
*sed Lucij, qui* expectes. tuus enim necessarius *g* affinitate no-  
*hic anno erat* ua delectatur: itaque iam non est studiosus lu-  
*trio. pl. Phil. 4.* dorum, infinitoque *h* fratris tui plausu di-  
 sumpi-

tumpitur. alter item affinis nouis commentariis Cæsaris delinitus est. Sed hæc tolerabilia: illud non ferendum, quod est, qui vestro anno consulem filium suum futurum putet, ob eamque causam se huic latroni deseruire præ se ferat. nam L. Cotta, familiaris meus, fatali quadam desperatione, vt ait, minus in senatum venit. L. Cæsar, optimus & fortissimus ciuis, a valetudine impeditur. Ser. Sulpicius, & summa autoritate, & optimè sentiens, non adest, reliquos, exceptis b designatis, ignosce mihi si non numero consulares. Habes c autores consilii publici. qui numerus etiam bonis rebus exiguus esset: quid censes, perditis? Quare spes est omnis in vobis. qui si iccirco abestis, vt sitis in tuto: ne in vobis quidem. sin aliquid dignum vestra gloria cogitatis: velim, d saluis nobis: sin id minus, res tamen publica per vos breui tempore ius suum e recuperabit. Ego tuis neque desum, neque deero: qui siue ad me referent, f siue non, mea tibi tamen beneuolentia fidesque præstabitur. Vale.

ARGVMENT. Et hic in Antonium eiusq; se & fam inuehitur.

### Questoria.

Cicero s. d. Cassio. 3

**A**VGUSTI tuus a amicus furorem in dies. a Antonius, primum in statua, quam posuit in Rostris, incipit, PARENTI OPTIME MERITO: vt non modo ficarij, sed iam etiam parricidæ iudicemini. quid dico iudicemini? iudicemur

cc 4

potius.

a Ep. 14. 69.

b Pansa, & Hirtio.

c Quorū consilio resp. geritur.

d Id est, ne ante vestrū aduentū opprimamur.

e Ep. 13 l. 15. ad Att.

f Sic & Sigonij liber, & meus. alij tamen hoc delendum putant.



ceteros me. quanquam egregios consules habemus, sed turpissimos consulares, senatum fortem, sed infimo quemque honore fortissimum, populo vero nihil fortius, nihil melius, Italiaque vniuersa. Nihil autem foedius a Philippo, & Pisone legatis, nihil flagitiosius: qui quum essent missi, vt Antonio ex senatus sententia certas res renuntiarent. quum ille earum rerum nulli paruisset, vltro ab illo ad nos intolerabilia postulata retulerunt, itaque ad nos concurritur, factique iam in re *b* salutaris populares sumus. Sed tu quid ageres, quid acturus, vbi denique esses, ne dicebam. fama nuntiabat te esse in Syria: auctor erat nemo. De Bruto, quo propius est, eo firmiora videntur esse quae nuntiantur. Dolabella valde vituperabatur ab hominibus non insulsis, quod tibi tam cito succederet, quum tu vixdum triginta dies in Syria fuisses. itaque constabat, eum recipi in Syriam non oportere. Summa laus & tua & Bruti est, quod *c* exercitum praeter spem existimamini comparasse. Scriberem plura, si rem causamque nossem. nunc quae scribo, scribo ex opinione hominum atque fama. Tuas literas auide expecto. Vale.

ARG. *M. Brurum laudat, vt ad eius imitationem Cassium accendat. addit de bello, quod in Italia contra M. Antonium resperebat.*

Laudatoria.

Cicero s. d. Cassio.

5

HYEMEM credo adhuc prohibuisse quominus de te certum haberemus, quid ageres,

Cc 5

maxi-

*a Ep. 8. l. 11. & Phil. 6. & 13.*

*b Alii .n. in affligenda rep. populares, vt Clodius, Casar, M. Bruto.*

*c 17. legiones eos habuisse Velleius tradit.*

maximèque vbi esses. loquebantur omnes ta-  
men, credo quòd volebant, in Syria te esse, habe-  
re copias. id autem eo facilius credebatur, quia  
simile vero videbatur. Brutus quidem noster e-  
gregiam laudem est consequutus. res enim tan-  
tas a gessit, tamque inopinatas, vt ex quum  
per se gratæ essent, tam gratiores propter cele-  
ritatem. Quòd si tu ea tenes quæ putamus: ma-  
gnis subsidiis fulta resp. est. à prima enim ora  
Græciæ vsque ad Ægyptum optimorum ci-  
uium imperiis muniti erimus, & copiis. quan-  
quam, nisi me fallebat, res sic se habebat, vt to-  
tius belli omne discrimen in D. Bruto positum  
videretur: qui si, vt sperabamus, erupisset Mu-  
tina, nihil belli reliquum fore videbatur. par-  
uis omnino iam copiis obsidebatur, quòd ma-  
gno præsidio Bononiam tenebat Antonius. e-  
rat autem Claternæ noster *b.* Hirtius, ad Fo-  
rum Corneliæ Cæsar, vterque cum firmo e-  
xercitu: magnasque Romæ Pansa copias ex de-  
lectu Italiæ comparat. hyems adhuc rem geri  
prohibuerat. Hirtius nihil nisi *c.* consideratè, vt  
mihi crebris literis significat, acturus videbatur,  
præter Bononiam, Rhegium Lepidi, *d.* Parmam,  
totam Galliam tenebamus studiosissimam rei-  
pub. tuos etiam clientes transpadanos mirificè  
coniunctos cum causa habebamus. erat firmis-  
simus senatus, exceptis *e.* consularibus: ex qui-  
bus vnus L. Cæsar firmus est, & rectus. Ser. Sulpi-  
cii morte magnum præsidium amisimus. reli-  
qui partim inertes, partim improbi, nonnulli  
inuidet eorum laudè, quos in rep. probari vi-  
dent. *f.* populi verò R. totiusque Italiæ mira con-  
sensus est. Hæc erant ferè, quæ tibi nota esse  
vellem

*Plut. in eius  
vita.*

*a Primam .n.  
oram Græcia  
Brutus tene-  
bat.*

*b Ep. l. 11.*

*c Ep. l. 10.*

*d De Parme-  
sum cade ab  
Antonio fa-  
ct., Phil. 14.*

*e Epist. antea  
dente.*

*f De Sulpicij  
morte, Phil. 3.*

*g Ep. antea  
dente.*

vellem, nunc autem opto, ut ab istis a orientis  
partibus virtutis tuæ lumen eluceat. Vale.

*a Unde soltero  
ras illustrat,  
inde fac ut e-*

**ARG.** Strabonem commendat quasi aliud agens: & luceat virtus  
in Cassio Brutoq; spem omnem reip. sitam esse dicit, si ad tua.  
Mutinam res male geratur.

Commendatoria, Hortatoria.

Cicero s. D. Cassio.

6

**Q**VI status rerum fuerit tum quum has li-  
teras dedi, scire poteris ex C. a Tidio Stra-  
bone, viro bono & optimè de rep. sentiente. nam  
quid dicam, cupidissimo tui, qui domo & fortu-  
nis relictis, ad te potissimum profectus sit? ita-  
que eum tibi ne commendo quidem. aduentus  
ipsum ad te satis eum commendabit. Tu velim  
sic existimes, tibi que persuadeas, omnè perflu-  
gium bonorum in te & Bruto esse positum, si,  
quod nolim, aduersi quid euenerit. res, quum  
hæc scribebam, erat in extremum deducta di-  
scrimen. Brutus enim Mutinæ vix iam sustine-  
bat. qui si conseruatus erit, vicimus: sin, (quod  
dii omen auertant) omnis omnium cursus est  
ad vos. Proinde fac tantum animum habeas,  
tantumq; apparatus, quanto opus est ad vni-  
uersam temp. recuperandam. Vale.

*a Fortasse re-  
stius, Titio. nã  
& Strabo Tri-  
tiorũ cognomẽ,  
ut inf. ep. 14. l.  
13. & Titia gẽris  
mẽtio frequẽs,  
Tidia nulla.*

*Omni causa  
mẽtionem vi-  
tat aduersa  
fortuna. ep. 12.  
li. 16. ad Att.  
quo in loco vi-  
de nostrum cõ-  
mentarium.*

**ARG.** Significat sententiam à se in senatu di-  
ctam ex Cassij dignitate, eamq; à se etiam in concione  
defensam.

Significatoria, Hortatoria.

Cicero

Cicero S. D. Cassio.

7

**Q**UANTO studio dignitatem tuam & in senatu & ad populum defenderim, ex tuis te ma. o quam ex me, cognoscere. quæ mea sententia in senatu facile valuisset, nisi Pansa vehementer obstitisset. Ea sententia dicta, productus sum in concionem à tribuno pl. M. Seruilio. dixi de te quæ potui, *a* tanta contentione, quantum forum est, tanto clamore consensuq; populi, vt nihil vnquam simile viderim. id velim mihi ignoscas, quod inuita *b* socru tua fecerim. mulier timida verebatur, ne Pansæ animus offenderetur. in concione quidem Pansa dixit, matrem quoque tuam, & fratrem illam à me sententiam noluisse dici. sed me hæc non mouebant: alia malebam: faucebam & reip. cui semper faui, & dignitati ac gloriæ tuæ. Quod autem & in senatu pluribus verbis disserui, & dixi in concione, in eo velim fidem meam *c* liberes. promisi enim & propè confirmaui, te non expectasse, nec expectaturum decreta nostra, sed te ipsum tuo more remp. defensurum. & quanquam nihil dum audieramus, nec vbi es, nec quas copias haberes: tamen sic statuebam, omnes, quæ in istis partibus essent, opes copiasque tuas esse: per teque Asiam prouinciam confidebam iam reipub. recuperatam. Tu fac in augenda gloria te ipsum *d* vincas. Vale.

*a* Id est, id velim praestes, & te confirmes.  
*b* Id est, id velim praestes, & te confirmes.  
*c* Id est, id velim praestes, & te confirmes.  
*d* Id est, id velim praestes, & te confirmes.

ARG Lepidus victum Antonium receperat: unaq; bellum administrabant, id queritur Cicero, & Castum ad liberandam remp. hortatur.

Que

Questoria, Hortatoria.

Cicero s. D. Cassio.

8

**S**CELVS & affinis tui Lepidi, summamque a *Nam & Le-*  
*leuitatem & b inconstantiam, ex actis, qua* *piam uxor, erat*  
 ad te mitti certò scio, cognosse te arbitror. ita *soror M. Bruti.*  
 que nos, confecto bello, vt arbitrabamur, reno- *b Quum antea*  
 uatum bellam gerimus: spemque omnem in D. *pacem se velle*  
 Bruto & Planco habemus: si verum quaris, in *dixisset. ep. 18.*  
 te & in meo Bruto non solum ad presens per- *l. 11. inf ep. 10.*  
 fugium, si, quod nolim, c aduersi quid accide- *c Oppressum à*  
 rit, sed etiam ad confirmationem perpetuæ li- *te esse.*  
 bertatis. Nos hinc de Dolabella d audiebamus, *d Laudat si-*  
 quæ vellemus: sed certos autores non habeba- *mul & horra-*  
 mus. Te quidem magnum hominem & presenti- *tur. quod fa-*  
 ti iudicio & reliqui temporis expectatione scito *ciendum utru-*  
 esse. hoc tibi proposito, fac vt ad summa con- *que censet, epi.*  
 tendas, nihil est tantum, quòd non populus R. à *21. l. 15.*  
 te perfici atque obtineri posse iudicet. Vale.

**ARG.** *Scribit de bello propter Lepidi perfidiam re-*  
*uocato: Cassiumq; hortatur vt in Italiam properet.*

Hortatoria.

M. Cicero s. D. Cassio.

9

**B**REVITAS tuarum literarum me quoque  
 breuiorem in scribendo facit: & verè vt di-  
 cam, non satis occurrit, quod scribam nosti: as e-  
 nim res in actis perferri ad te certò scio: tuas  
 autem ignoramus. tanquam enim clausa sit A-  
 sia, sic nihil perfertur ad nos, præter rumores de  
 oppresso Dolabella, satis illos quidem constan-  
 tes, sed adhuc sine autore. Nos confectum  
 bellam

*a* Ob affinitatem. ep. antecedenti, & sequenti.

bellum quum putaremus, repente à Lepido tuo in summam sollicitudinem adducti sumus. Itaque persuade tibi, maximam reip. spem in te & in tuis copiis esse. firmos omnino exercitus habemus: sed tamen, ut omnia, ut spero, prospere procedant, multum *b* interest te venire. exigua est enim spes reip. nam nullam non licet dicere: sed, quæcunque est, ea despondetur anno consulatus tui. Vale.

*b* Timebat ipsam vi Horiam, suspicans de Octaviano id, quod euenit.

rè procedant, multum *b* interest te venire. exigua est enim spes reip. nam nullam non licet dicere: sed, quæcunque est, ea despondetur anno consulatus tui. Vale.

ARG *Lepidum hostem iudicatum scribit, & omnino rem poscere, ut Cassius cum exercitu in Italiam veniat.*

## Hortatoria.

Cicero s. D. Cassio.

10

Epist. 8.

**L**EPIDVS, tuus affinis, meus familiaris, pridie cal. Quint. sententiis omnibus hostis à senatu iudicatus est, cæteri que qui vnà cum illo à rep. defecerunt, quibus tamen ad *a* sanitatem redeundi ante cal. Sept. potestas facta est. Fortis sanè senatus, sed maxime spe subsidii tui. bellum quidem quum hæc scribebam, sanè magnum erat, scelere & leuitate Lepidi. Nos de Dolabella quotidie, quæ volumus, audimus, sed adhuc sine capite, sine autore, rumore nuntio. Quod quum ita esset, tamen literis tuis, quas nonis Maij ex castris datas acceperamus, ita persuasim erat ciuitati, ut illum iam oppressum omnes arbitrarentur, te autem in Italiam venire cum exercitu: ut, si hæc ex sententia confecta essent, consilio, atque autoritate tua, sin quid forte *b* titubatum esset, ut fit in bello, exercitu tuo niteremur. quem quidem ego exercituum quibus-

quibuscunque potero rebus ornabo. cuius rei  
 tum tempus erit, quum, quid opis reip. laturus  
 a exercitus sit, aut quid iam tulerit, notum esse  
 coeperit. Nam adhuc tantum conatus audiuntur,  
 optimi illi quidem & præclarissimi, sed  
 gesta res expectatur: quam quidem aut iam  
 esse aliquam, aut appropinquare confido. tua  
 virtute & magnitudine animi nihil est nobi-  
 lius. Itaque optamus, ut quamprimum te in  
 Italia videamus. rempub. nos habere arbitra-  
 bimur, si vos habebimus. Præclare viceram-  
 us, nisi spoliatum, inermem, fugientem Le-  
 pidus recepisset Antonium, itaque nunquam  
 tanto odio ciuitati Antonius fuit, quanto est  
 Lepidus. ille enim ex turbulenta repub. hic ex  
 pace & victoria bellum excitauit. Huic oppo-  
 sitos b consules designatos habemus: in qui-  
 bus est magna illa quidem spes, sed anceps cu-  
 ra propter incertos exitus præliorum. Persua-  
 de tibi igitur, in te & in Bruto tuo esse omnia,  
 vos expectari, Brutum quidem c iam iamque.  
 quod si, ut spero, victis hostibus nostris, veneri-  
 tis: tamen autoritate vestra respub. exsurget, &  
 in aliquo statu tolerabili consistet. sunt enim  
 permulta, quibus erit medendum, etiam si  
 respub. satis esse videbitur sceleribus hostium  
 liberata. Vale.

a Suspicor a-  
 bundare, &  
 fuisse ex iis, qua  
 glossemata vo-  
 cant.

b D. Brutus, &  
 L. Plancum.

c Propius enim  
 aberat, Mace-  
 doniamque, &  
 Graciam, capto  
 Antonio, te-  
 nebat. Plus.

ARG. Scribit à quibus copias acceperit: seq. &  
 remp. commendat. scripta autem hac epistola ante pra-  
 lium Mutinense.

Expositoria, Hortatoria.

Cassius

Cassius procos. s. D. Ciceroni. II

- a** Dio l. 47. **S**i vales, bene est: ego quidem valeo. In Syriam me a profectum esse scito ad L. Murcum, & Q. Crispum Imp. Viri fortes optimiq; viros, posteaquam audierunt qua Roma b gererentur, exercitus mihi tradiderunt, ipsique mecum una fortissimo animo remp. administrant. item legionem, quam Q. c. Caecilius Bassus habuit, ad me venisse scito quatuorque legiones, quas A. d. A. Illienus ex Aegypto eduxit, traditas ab eo mihi esse scito. Nunc te cohortatione non **gyptum.** App. puto indigere, ut nos a sentes rem que pu' luam, quantum opus est, defendas. scire te volo, firma praesidia vobis senarumque non deesse, ut optima spe & maximo animo rempub. defendas. reliqua tecum aget L. Carreius, familiaris meus. Vale. Data non. Mart. ex bello Iudaico. **stris e Tarichea.**
- b** Inter disti-  
dentes ciues.
- c** Strabo l. 16.
- d** Missus a Do-  
labella in A-  
gyptum. App.  
l. 4. de bel. ciu.
- e** Iosephus de  
bello Iudaico.

ARG. Facta mentione benevolentia Ciceronis erga se, suam dignitatem suosq; milites commendat: seq; & illos optime de rep. meritos affirmat.

Expositoria, Commendatoria.

Cassius procos. s. D. Ciceroni. 12

- S**i vales, bene est: ego quidem valeo. Legi tuas literas, in quibus mirificum tuum erga me amorem recognoui. videbaris enim non solum favere nobis, id quod & nostra & reipub. causa semper fecisti, sed etiam gravem curam suscepisse, vehementerque esse de nobis sollicitus. Itaque, quod te primum existimare putabam, **a** Moliri exitium improbiu picarere nos a moliri quod te, soliciu esse & de salute nostra & de rerum euentu putabam: simulac legiones
- a** Moliri exitium improbiu picarere nos a moliri quod te, soliciu esse & de salute nostra & de rerum euentu putabam: simulac legiones

legiones accepi, quas A. Alesenus eduxerat ex Egipto, scripsi ad te, tabellariosq. complures Romam misi. Scripsi etiam ad senatum literas, quas reddi verius prius quam tibi recitatae essent si forte mei obtemperare mihi voluerunt. quod si litera perlata non sunt, non dubito quin Dolabella, qui, nefarie Trebonio occiso, Asiam occupauit, tabellarios meos deprehenderit, literasq. interceperit. Exercitus omnes, qui in Asia fuere, teneo. habui paululum mora, dum promissa militibus persoluo. nunc iam sum expeditus. A te peto ut dignitatem meam tibi commendatam habeas. si me intelligis nullum neque periculum neque laborem patriae denegasse: si contra importunissimos latrones arma cepi, te hortante & autore: si non solum exercitum ad remp. libertatemq. defendendam comparauit, sed etiam crudelissimis tyrannis eripui. quem si occupasset, Dolabella non solum aduentu, sed etiam opinione & expectatione exercitus sui Antonium confirmasset: quas ob res milites b tuere, si eos mirifice de rep. meritos esse animaduertis: & effice ne quem poeniteat, remp. quam spem praedae & rapinarum, sequi maluisse. item Marci, & Crispi imp. dignitatem, quantum est in te, tuere. nam c Bassus d misere noluit mihi legionem tradere. quod nisi milites inuito eo legatos ad me misissent, clausam Apameam tenuisset, quoad vi esset expugnata. Hoc a te peto non solum resp. qua tibi semper fuit carissima, sed etiam amicitia nostra nomine, quam confido apud te plurimum posse. Crede mihi, hunc exercitum quem habeo, senatus atque optimi cuiusque esse, maximeque tuum: de cuius voluntate assidue audiendo, mirifice te diligit carumque habet. qui si intellexerit commoda sua cura tibi esse, debere etiam se tibi omnia putabit. Literis scriptum, audiui Dolabellam in Cili-

a Vbi Casareas collocauerat, quum de Parthico bello cogitaret.

b Cura tibi sint eorum commoda. infra, hac ipsa epistola.

c De Caecilio Basso Strabo l. 16.

d Quod eam laudem, ac felicitatem, qua in rep. tuenda posita est, ignoraret.

etiam venisse cum suis copiis, proficiscar in Ciliciam, quid egerim, celeriter ut scias, dabo operam, ac velim, ut meremur de rep sic felices simus. Fac valeas, meque ames. Nonis Maij, ex castris.

ARG. Gratulatur de victoria Mutinensi: & res à se gestas enumerat.

## Gratulatoria, Narratoria.

Cassius s. D. Ciceroni.

**S**I vales, bene est: ego quidem valeo. Cum reip. vel salute, vel victoria gaudemus: tum instauratione tuarum laudum, quod maximus consularis maximum consulem te ipse viciisti. & latamur & mirari satius non possumus fatale nescio quid tua virtuti datum: id quod iam saepe experti sumus. Est enim tua a toga omnium armis felicior: qua nunc quoque nobis penè victam rep. ex manibus hostium eripuit, ac reddidit. Nunc ergo vivemus liberi: nunc te, omnium maxime civis, & mihi carissime, id quod maxime reip. b tenebris comperisti, nunc te habebimus testem nostri & in te & in coniunctissimam tibi rep. amoris: & qua saepe pollicitus es te & taciturnum, dum serviremus, & disturum de me tum quum profutura essent, nunc illa non ego quidem dici tant opere desiderabo, quam sentire à te ipso. neque enim omnium iudicio malim me à te commendari, quam ipse tuo iudicio dignè, ac mereor, commendatus esse: ut hac novissima nostra facta non subita, nec c inconuenientia, sed similia illis cogitationibus, quarum tu testis es, fuisse iudices, meque ad optimam spem patria non minimum tibi ipsi producendum putes. Sunt tibi, M. Tulli, liberi propinqui, digni quidem te, & merito tibi carissimi: esse

a Tegatus enim Cicero, non armatus reip. profuit. ep. 4. l. 15.

b Quum Caesar omnia teneret.

c Vide scholiū nostrum in extremo lib.

etiam debeat in rep. proximè hos cari, qui studiorum  
 tuorum sunt amuli: quorum esse cupio tibi copiam: sed  
 tamen non maxima me turba puto excludi, quo mi-  
 nus tibi vacet me excipere, & ad omnia quæ velis &  
 probes, producere. animum tibi nostrum fortasse pro-  
 bauerimus: ingenium certè diutina seruitus qualecun-  
 que est, minus tamen quàm erat, passa est videri. Nos  
 ex ora maritima Asia prouincia, & ex insulis quas  
 potuimus naues deduximus. delectum remigum, magna  
 à contumacia ciuitatum, tamen satis celeriter ha-  
 buimus. sequenti sumus classem Dolabella, cui Lucilius  
 præerat: qui, spem sæpe transitionis præbendo, neque un-  
 quam non decedendo, nouissime Corycum se contu-  
 lit, & clauso portu se tenere cœpit. nos, illa relicta,  
 quod & in castra peruenire satius esse putabamus, &  
 sequebatur classis altera, quam anno priore in Bithy-  
 nia Tillius Cimber compararat, cui Turulius quæ-  
 stor præerat, Cyprum petiuimus. ibi, qua cognoui-  
 mus, scribere ad vos quam celerrimè voluimus. Dola-  
 bellam ut Tarsenses pessimi socj, ita Laodiceni mul-  
 tō amenciores ultrò accerserunt. ex quibus utruque  
 ciuitatibus, Græcorum militum numero speciem ex-  
 ercitus effecit. castrà habet ante oppidum Laodicæam  
 posita, & partem muri demolitus est, & castra oppi-  
 do coniunxit. c. Cassius noster cum decem legionibus,  
 & cohortibus viginti auxiliariis & quatuor  
 millibus equitum, à millibus passuum viginti ca-  
 strà habet posita Παλιτοῖ: & existimat se sine prælo  
 posse vincere. Nam iam ternis tetradrachmis triticum  
 Penes Dolabellam est nisi quid nauibus Laodiceno-  
 riam supportarit, citò fame pereat, necesse est: ne sup-  
 portare possit, & Cassij classis bene magna, cui præest  
 Sextilius Rufus, & tres, quas nos adduximus; ego, Tu-  
 rullus, & d. Patichus, facile præstabunt, volo igitur

Non puto mul-  
 tos à te mihi  
 in amore an-  
 teponi.

a Quum oblli-  
 natè recusarēt

b Cimbro ab  
 senatu attri-  
 buta. Plut. in  
 Bruto.

c Alius Cas-  
 sius, is scilicet,  
 qui Casareus  
 occiderat.

Paltus oppi-  
 dum Laodi-  
 cæa propin-  
 quum.

d Ep. 11. li. 2. &  
 6. li. 6. & 15. li. 6.

vos bene sperare & remp. ut nos istuc expediſſis, ita pro nostra parte celeriter nobis expediri poſſe, conſidere Vale. Data idibus Iun. Cypro, Acromania-  
cride.

ARG. Exponit res à ſe geſtas: Rhodios accuſat: procuratoriam Aſia petit: merita ſua in remp. commemorat.

Expoſitoria.

Lentulus s. D. Ciceroni ſuo. 14

Spintheris filius, à Torquato adoptatus.  
Dio lib. 38.

a Caſſio eam tenente ſuprà, epiſt. 5.

QUVM Brutum noſtrum conueniſſem, eumq; tardius in Aſiam venturum animaduertentem, in Aſiam redij, ut reliquias mei laboris colligerem, & pecuniam quam primum Romam mitterem. Interim cognoui in Lycia eſſe claſſem Dolabella, amplius quàm centum naues onerarias, in quas exercitus eius imponi poſſet, idq; Dolabellam ea mente comparafſe, ut, ſi Syria ſpes eum à fruſtrata eſſet, conſcenderet in naues, & Italam peteret, ſeq; cum Antoniis & reliquis latronibus coniungeret. Cuius rei tanto in timore fui, ut, omnibus rebus relictis, cum paucioribus & minoribus nauibus ad illas ire conatus ſim. qua res, ſi à Rhodiis non eſſem interpellatus, fortafſe tota ſublata eſſet: tamen magna ex parte proſtigata eſt. quandoquidem claſſis diſſipata eſt: aduentus noſtri timore milites du. eſq; effugerunt: oneraria omnes ad vnã à nobis ſunt ex. epta. certe, quod maximè timui, videor eſſe conſequutus, ut non poſſit claſſe Dolabella in Italiam peruenire, nec, ſociis ſuis firmatis, aurius vobis eſſere negotium. Rhodij nos, & rempub. quàm valde deſperauerint, ex literis quas publice miſi, cognoſces & quidem multò parcius ſcripſi, quàm reuera furent eos inueni. quòd verò aliquid de hiſ. ſcripſi,

mirari noli: mira est eorum amentia. Nec me mea ulla  
 priuatim iniuria a mouerunt unquam: malus animus eorum in nostra salute, cupiditas partium aliarum, perseverantia in contemptione optimi cuiusque fetiquis libris.  
 renda mihi non fuit. nec tamen omnes perditos esse pu-  
 to sed iidem illi, qui tum fugientem patrem meum, qui L. Lentulum, qui Pompeium, qui ceteros viros clarissimos non receperunt, iidem, tanquam aliquo fato, Casar libro 3.  
com. de bel. civ.  
 & nunc aut magistratum gerunt, aut eos qui sunt in  
 magistratu, in sua habent potestate. Itaque eadem superbia in prauitate utuntur. quorum improbitatem aliquando retundi, & non pati impunitate auferi, non solum utile est reip. nostrae, sed etiam necessarium. De nostra dignitate velim tibi ut semper cura sit, & quocumque tempore occasionem habueris, & in senatu, & in ceteris rebus laudi nostra suffragere. Quoniam consulis decreta est Asia, & permissum est iis ut, dum ipsi venirent, darent negotium, qui Asiam obtineant: rogo te, petas ab iis ut hanc dignitatem potissimum nobis tribuant, & mihi dent negotium ut Asiam obtineam, dum ipsorum alteruter venit. nam, quod huc properent in magistratu venire, aut exercitum mittere, causam non habent. Dolabella enim in Syria est, & ut tu diuina tua mente perspexisti & pradicasti: dum isti venient, Cassius eum opprimit. exclusus enim ab Antiochia Dolabella, & in oppugnando male acceptus, nulla alia confisus urbe, Laodiceam, quae est in Syria ad mare, se contulit. Ibi b spero celeriter eum poenas daturum. nam neque quò refugiat, habet: neque diutius ibi poterit tantum c exercitum Cassij sustinere. spero etiam confectum esse iam & oppressum. quare non puto Pansam & Hirum in consularu properaturos in prouincias exire, sed Roma acturos consularum. Itaque, si ab his petieris ut interea nobis procuracionem

b Spem cōpro-  
 bauit euentus.  
 Velleius lib. 2.  
 & alij.  
 c Decem le-  
 giones.

Asia dent, spero te posse impetrare praterea mihi promiserunt Pansa & Hirtius coram & absenti mihi. scripserunt, Verriusq; nostro Pansa affirmavit, se daturum operam ne in suo consulatu mihi succedatur. Ego porro non mediis fidiis cupiditate prouincia produci longius spatium mihi volo. nam mihi fuit ista prouincia plena laboris, periculi, detrimenti. qua ego ne frustra subierim, necue prius quam reliquias mea diligentia consequar, decedere cogar, valde laboro. nam si potuisssem, quam exegeram, pecuniam vniuersam mittere postularem vt mihi succederetur. nunc, quod Cassio dedi, quod Trebonij morte amisimus, quod etiam credulitate Dolabella, aut perfidia eorum qui mihi fide

a. Epist. 7. lib. 1.

b Quum Casarum occidimus. Plut.

c Quod eam Lentulo a Casare impetrasset.

dem reique pub. non a praestiterunt, id consequi & rescicere volo. quod aliter non potest fieri, nisi spatium habuero. id vt per te consequar, velim, vt solet, tibi cura sit. Ego me de rep. ita puto esse meritum, vt non prouincia istius beneficium expectare debeam, sed tantum quantum Cassius & Bruti, non solum b illius studio & virtute. Primus enim ego leges Antonianas fregi: primus equitatum Dolabella ad remp. traduxi, Cassioq; tradidi. primus defectus habui pro salute omnium contra coniurationem sceleratissimam: solus Cassio & reip. Syriam, exercitusque, qui tibi erant, coniunxi. nam, nisi ego tantam pecuniam tantaq; praesidia, & tam celeriter Cassio dedissem, ne ausus quidem esset ire in Syriam, & nunc non minora pericula reip. a Dolabella instarent, quam ab Antonio. Atque hac omnia is feci, qui & sodalis & familiarissimus Dolabella eram, coniunctissimus sanguine Antonii: c prouinciam quoque illorum beneficium habebam: sed πᾶσι τοῖς ἐμῶν μάχων Φιλῶν, omnibus meis bellum primus indixi. Hac etsi adhuc non magnopere mihi

talisse fructum animaduerto: tamen non despero, nec  
 a defatigabor permanere non solum in studio liberta-  
 in, sed etiam in labore & periculis. attamen, fietiam <sup>a</sup> Non vscatis  
 aliqua gloria iusta & merita prouocabimur, senatus & <sup>locutio, quis e-</sup>  
 optimi cuiusque officii, maiore cum autoritate apud <sup>nim preterea</sup>  
 ceteros erimus, & eo plus prodesse reip. poterimus. Fi- <sup>defatigor cum</sup>  
 lium tuum, ad Brutum quum veni, videre non potui. <sup>in finitimo con-</sup>  
 ideo quod iam in hiberna cum equitibus erat pro- <sup>iunxit?</sup>  
 fectus: sed mediis fidiis, ea esse eum <sup>b</sup> In animatiō  
 & ipsius, & in primis mea causa gaudeo fratris enim <sup>esse erga temp.</sup>  
 loco mihi est, qui ex te natus teq; dignus est. Vale.  
 Data IV. Cal. Iun. Perga.

ARG. Hic quoque res à se gestas exponit: invehitur in Rhodios: de Dolabella optabilia nuntiat.

Narratoria.

Lentulus P. F. proques. propre. s. d. c. os.  
 præ. trib. pl. senatui, populo plebi-  
 que Romanæ. 15

SI valetis, liberi que vestri valent, bene est: ego quoque  
 valeo. Scelere Dolabella a oppressa Asia. in proxi- <sup>a</sup> Smyrna ca-  
 mam prouinciam Macedoniam, presidiaque reip. qua pta, Treboniō-  
 M. Brutus, vir clarissimus, tenebat, me contuli, & id que caso supra,  
 egi, ut per quos celerrimè posset, Asia prouincia, vesti- <sup>epist. 12. & ep.</sup>  
 galiāque in vestram potestatem redigerentur. Quod antecedenti  
 quum pertinuisset Dolabella, & vastata prouincia,  
 correptis vestigalibus, præcipuè ciuibus R. omnibus  
 crudelissimè denudatis ac diuenditis, celerius Asia ex-  
 cessisset, quàm eò presidium adduci potuisset: diutius  
 morari, aut expectare presidium non necesse habui,  
 & quamprimum ad meum officium reuertendum

mibi esse existimaui: ut & reliqua vestigalia exigere, & quam deposui, pecuniam colligerem, quicquid ex ea correptum esset, aut quorum id culpa accidisset, cognoscerem quamprimum, & vos de omni re facerem certiorem. Interim, quum per insulas in Asiam nauiganti mihi nunciatum esset, classem Dolabella in Lycia esse Rhodiisque naues complures instructas & paratas in aqua habere: cum iis nauibus, quas aut mecum adduxeram, aut comparauerat Patiscus proguas. homo mihi quum familiaritate, tum etiam sensibus in rep. coniunctissimus, Rhodum reuerti, confusus auctoritate vestra, senatusque consulto, quo hostem Dolabellam indicaretis, federe quoque, quod cum iis M. Marcello, Ser. Sulpicio cos. renouatum erat, quo a iurauerant Rhody, eosdem hostes se habituros, quos senatus populusque R. Qua res nos vehementer fessit. tantum enim absuit ut illorum presidio nostram firmaremus classem, ut etiam a Rhodis urbe, portu, statione, qua extra urbem est, commeatu, aqua denique, prohiberentur nostri milites, nos vix ipsi singulis cum nauigiolis reciperemus quam indignitatem diminutionemq; maiestatis non solum iuris nostri, sed etiam imperij, populi que R. iccirco tulimus, quod, interceptis literis, cognoramus Dolabellam, se desperasset de Syria, Aegyptoque, quod necesse erat fieri, in naues cum omnibus suis latronibus atq; omni pecunia confendere esse paratum, Italiamque petere, iccirco etiam naues onerarias, quarum minor nulla erat duum millium b amphorarum, contractas in Lycia a classe eius obsideri. Huius rei timore P. C. percitus, iniurias perpeti, & cum contumelia etiam nostra omnia prius experiri malui. Itaq; ad illorum voluntatem introductus in urbem, & in senatum eorum quam diligentissime potui, causam resp. egi, periculumque

a Hoc in omnibus faderibus obseruatum animaduerti.

b Sic est in duobus Sigonij libris: in meo, amphorum.

omne quod instaret, si ille latro cum omnibus suis naues  
 conscendisset, exposui. Rhodios autem tanta in pra-  
 uitate animaduerti, ut omnes firmiores putarent,  
 quam bonos, ut hanc concordiam & conspirationem  
 omnium ordinum ad defendendam libertatem pro-  
 pensè non crederent esse factam, ut patientiam sena-  
 tus & optimi cuiusque mane re etiam nunc confide-  
 rent, nec potuisse audere quenquam Dolabellam ho-  
 stem iudicare: ut denique omnia qua improbi finge-  
 bant, magis vera existimarent, quam qua vere facta  
 erant, & à nobis docebantur. Qua mente etiam ante  
 nostrum aduentum, post Trebonij indignissimam ca-  
 dem, ceteraq; tot tamq; nefaria facinora, bina profe-  
 cta erant ad Dolabellam legationes eorum, & quidem  
 nouo exemplo, contra leges ipsorum, prohibentibus iis,  
 qui tum magistratus gerebant. Hac siue timore, ut  
 diffidant, de agris, quos incontinenti habent, siue furo-  
 re, siue potentia paucorum, qui & antea pari contume-  
 lia a viros clarissimos affecerant, & nunc maximos  
 magistratus gerentes: nulli exemplo, neque vestra ex  
 parte, neque nostro presentium, neque imminenti Ita-  
 liae urbiq; nostro periculo, si ille parricida cum suis  
 latronibus, nauibus, ex asia, Syriaq; expulsus, Ita-  
 liam petiisset mederi, quum facile possent, voluerunt.  
 Nonnulli etiam ipsi magistratus veniebant in suspi-  
 cionem, detinuisse nos & demorati esse, dum clausu Do-  
 labella certior fieret de aduentu nostro, quam suspi-  
 cionem consequuta res aliquot auxerunt, maximeq;  
 quòd subito ex Lycia Sext. Marius & C. Titius, legati  
 Dolabella, à classe discesserunt, nauiq; longa profuge-  
 runt, onerariis relictis, in quibus colligendum non mini-  
 mum temporis laborisque consumserunt. Itaque,  
 quum Rhodo cum iis, quas habueramus, nauibus in  
 Lyciam venissemus, naues onerarias recepimus, domi

a Quum Lon-  
 tulum & Pom-  
 peium non re-  
 ceperunt. Su-  
 pra, epist. 14.

Non licebat  
provincia fini-  
bus egredi.

nique restituumus, iidemque, quod maxime verebatur, ne posset Dolabella cum suis latronibus in Italiam ve. ire; timere defumus: classem fugientem persequuti sumus usque ad Sydam, qua a extrema regio est provincia mea. ibi cognoui partem navium Dolabella diffugisse. reliquas Syriam, Cyprumque petisse, quibus disiectus, quum scirem C. Cassij, singularis civis, & ducis, classem maximam fore praesto in Syria, ad meum officium reverti: daboque operam, ut meum studium, & diligentiam vobis P. C. & reip. praestem, pecuniamque, quam maximam potero, & quam celerrime, cogam omnibusque cum rationibus ad vos mittam. si percurrero provinciam & cognouero, qui nobis, & reip. fidem praestiterunt in conservanda pecunia a me deposita quique scelere, ultro deserentes pecuniam publicam, hoc munere societatem facinorum cum Dolabella inierunt: faciam vos certiores, de quibus si vobis videbitur, si, ut meriti sunt, graviter constitueritis, nosque vestra autoritate firmaveritis: facilius & reliqua exigere vestigalia, & ex Asia servare poterimus. interea, quo commodius vestigalia tueri, provinciamque ab iniuria defendere possim, praesidium necessarium, voluntariumque comparavi. Huic literis scriptis, milites circiter xxx. quos Dolabella ex Asia conscripserat, e Syria fugientes in Pamphyliam venerunt. hi nuntiaverunt, Dolabellam Antiochiam, qua in Syria est, venisse, non receptum: conatum esse aliquoties vi introire, repulsum semper esse cum magno suo detrimento: itaque centum circiter amissis, agrisque compluribus relictis, nocte Antiochia profugisse Laodiceam versus: ea nocte omnes ferè Asiaticos milites ab eo discessisse: ex his ad octingentos Antiochiam rediisse, & se iis tradidisse, qui a Cassio relictis, urbi illi praerant: ceteros per Amanum in Ciliam descendisse: quo ex numero se quoque

que esse dicebant : Cassium autem cum suis omnibus copiis, nuntiatum esse, quatrividui iter à Laodicea abfuisse, tum, quum Dolabella eò tenderet. Quamobrem a opinione celerius, confido, sceleratissimum latronem a Ep. 31. lib. 10.  
panas daturum. IV. non. Iun. Perga.

ARG. Gratulatur de Ciceronis filij indole ad virtutem: versus, in malum ciuem à se conscriptos, mittit: petit, ut includatur in Ciceronis scripta de Caesaris interitu.

Gratulatoria & petitoria.

C. Trebonius s. D. Ciceroni. 16

SI vales, bene est Athenas veni ad XI. Cal. Iun. atque ibi, quod maximè optabam, vidi filium tuum, deditum optimis studiis, summæque modestia fama, qua ex re quantam voluptatem ceperim, scire potes. etiam me tacente. non enim nescis, quanti te faciam, & quàm pro nostro veterrimo, verissimoque amore omnibus tuis etiam minimis commodis, non modo tanto bono, gaudeam. Noli putare, mi Cicero, me hoc auribus tuis dare. nihil adolescente tuo, atque adeò nostro, (nihil enim mihi à te potest esse seiunctum) aut amabilius omnibus iis qui Athenis sunt, aut studiosius earum artium, quas tu maximè amas, hoc est optimarum. Itaque tibi, quod verè facere possum, libenter quoque gratulor, nec minus etiam nobis quod eam, quem necesse erat diligere, qualicumque esset, talem habemus, ut libenter quoque diligamus. qui quum mihi in sermone iniecisset, se velle Asiam visere, non modo inuitatus, sed etiam rogatus est à me, ut id potissimum, nobis obtinentibus provinciam, faceret. cui nos & caritate, & amore tuum officium prastaturos,

a Peripatetica  
doctrina cla-  
rus. ep. 21. lib.  
16. de off. lib. 1.  
& 3.

b Vide Vege-  
tium de pleno  
gradu militiæ.

c Satyrarum  
scriptori.

d Fuit enim  
Trebonius v-  
nus ex percus-  
soribus Ca-  
sari.

in agurati.

non debes dubitare. Illud quoque erit nobis cura, ut  
a Cratippus una cum eo sit, ne putes in Asia seriatum  
illum ab iis studiis, in qua tua cohortatione incitatur,  
futurum. Nam illum paratum, ut video, & ingressum  
pleno b gradu, cohortari non intermitteremus, quò in  
dies longius, discendo, exercendoq; se, procedat. Vos quid  
ageretis in rep. quum has literas dabam, non sciebam,  
audiebam quadam turbulenta: qua scilicet cupio esse  
falsa. ut aliquando otiosa libertate fruamur: quod vel  
minimè adhuc mihi contigit. Ego tamen, nausus in  
navigatione nostra pusillum laxamenti, concinnaui tibi  
munusculum ex instituto meo & dictum, cum magno  
nostro honore à te dictum, conclusi, & tibi infra subscri-  
psi. in quibus versiculis se tibi quibusdam verbis ἐπιπρη-  
μώεσθαι videbor: turpitudine persona eius, in quam li-  
berius inuehimur, nos vindicabit. Ignoscet etiam irac-  
undia nostra, qua iusta est in eiusmodi & homines, &  
ciues. Deinde, qui magis hoc c Lucilio licuerit assumere  
libertatis, quam nobis? quum etiam si odio par fuerit in  
eos, quos læsit, tamen certè non magis dignos habuerit,  
in quos tanta libertate verborum incurreret. Tu, sicut  
mihi pollicitus es, adiunges me quam primum ad tuos  
sermones. Namque illud non dubito, quin, si quid de  
d interitu. Casari scribas, nò patiaris me minimà par-  
tem & rei, & amoris tui ferre. Vale, & matrem, meosq;  
tibi commendatos habe. D. VIII. Calend. Iun. Athenis.

ARG. Varia scribit, de rumoribus è Syria allatis,  
de urbis otio, de oratore à se scripto, de suo studio in Cor-  
nificium, is autem Syriam regebat, ut infra patet.

Varia.

Cicero s. d. Q. Cornificio collegæ. 17

G RATA mihi vehementer est memoria no-  
gita tua, quam significasti literis: q̄ ut con-  
fer-

serues, non quòd de tua constantia dubitem, sed quia a mos est ita rogandi, rogo. Ex Syria nobis tumultuosiora quaedam nuntiata sunt: quæ, quia tibi sunt propiora, quàm nobis tua me causa magis mouent, quàm mea. Romæ summum otium est, sed ita, vt malis salubre, ali-quod, & honestum negotium: quod spero fore, quia video id b curæ esse Cæsari. Mescito, dum tu absis, quasi occasionem quandam, & licentiam nactum, scribere audacius, & cætera quidem fortasse, quæ etiam tu concederes: sed proximè scripsi de optimo genere dicendi: in quo sæpe suspicatus sum te à iudicio nostro, sic scilicet, vt c doctum hominem à non indocto, paulum dissidere. huic tu libro maxime velim ex animo, si minus, gratiæ causa suffragere. Dicam tuis, vt eum, si velint, describant, ad teq; mittant. Puto enim, etiamsi rem minus probabilis, tamen in ista solitudine, quicquid à me profectum sit, iocundum tibi fore. Quod mihi existimationem tuam, dignitatemque commendas: facis tu quidem omnium more: sed velim sic existimes, me quum amori, quem inter nos mutuuum esse intelligam, plurimum tribuere, tum de summo ingenio, & de optimis tuis studiis, & de spe amplissimæ dignitatis ita iudicare, vt neminem tibi antepo-nam, compa-rem paucos. Vale.

a Vide idem  
ep. 29. lib. 11.

b Correctio-  
nem reip. Cæsari  
cogitauit.

c Scripsit Cor-  
nificius de arte  
rhetorica.  
Quintil. lib. 3.

ARG. Purgat se de infrequentia literarum: pru-  
dentiam Cornificij, grauitatemq; laudat: presentem  
reip. statum accusat, cum Cæsari excusationem.

Purgatoria & Narratoria.

Cicero s. D. Cornificio collegæ. 18

**Q**UOD extremum fuit in epistola, quam à te proximè accepi, ad id primum respondebo. animaduerti enim hoc vos magnos oratores facere nonnunquam. Epistolas requiris meas: ego autem nunquam, quum mihi denuntiatum esset à tuis, ire aliquem, non dedi. Quod mihi videor ex tuis literis intelligere, te nihil commissurum esse temerè, nec ante, quam scisses, quò iste, nescio qui *a* Cæcilius Bassus erumperet, quicquam certi constitutum: id ego & speraram prudentia tua fretus, & vt considerem, fecerunt tuæ grauissimæ literæ. idque vt facias quam sapissimè, vt, & quid tu agas, & quid agatur, scire possim, & etiam quid asturus sis, valde terogo. Etsi periniquo patiebar animo te à me digredi: tamen eo tempore me consolabar, quod & in summum otium te ire arbitrabar, & ab impendentibus magnis negotiis discedere, vtrunque contra accidit. istic enim *b* bellum est exortum, hic pax consequuta: sed eiusmodi pax, in qua si ades, multa te non delectarent, ea tamen quæ ne ipsum Cæsarem quidem delectent. BELLORVM enim ciuiliu[m] ij semper exitus sunt, vt non ea solùm fiant, quæ velit victor, sed etiam vt iis mos gerendus sit, quibus adiutoribus parta sit victoria. Equidem sic iam obduru[m], vt ludis Cæsaris nostri æquissimo animo viderim T. *c* Plancum, audirem Laberij, & Publij poemata. Nihil tam deesse scito, quam qui cum hæc familiariter, doctèque rideam. is tu eris, si quamprimum veneris. Quod vt facias,

*a* Dio li. 47. &  
*S*trabon. lib. 16.

*b* Dio lib. 47.

*c* Plancum  
 Bursam, à Cæsare restitutum.  
 ep. 2. lib. 7.

facias, non mea solum, sed etiam tua interesse arbitror. Vale.

ARG. *Gratulatur de Syria administratione, eamque optat a bello vacuum: quod se bellum sit, consulit: quod agendum sit.*

## Admonitoria.

Cicero s. D. Cornificio. 19

**L**IBENTISSIME Legi tuas literas: in quibus iocundissimum mihi fuit, quod cognoui meas tibi redditas esse, non enim dubitabam, quin eas libenter lecturus esses: verebar, ut redderentur. Bellum; quod est in Syria, Syriamque provinciam tibi tributam esse a Cesare, ex tuis literis cognoui. eandem rem tibi volo bene, & feliciter euenire: Quod ita fore confido, fretus & industria, & prudentia tua. Sed de Parthici belli suspitione quod scribis, sanè me commouit. Quantum copiarum haberes, quum ipse coniectura consequi poteram, tum ex tuis literis cognoui. Itaque opto, ne se illa gens moueat hoc tempore, dum ad te legiones eæ perducantur, quas audio duci. Quod si pares copias ad conflegendum non habebis, non te fugiet uti consilio M. a Bibuli, qui se oppido munitissimo, & copiosissimo tam diu tenuit, quam diu in provincia Parthi fuerunt. Sed hæc melius ex re, & ex tempore constitues. Mihi quidem usque curæ erit, quid agas, dum, quid egeris, sciero. Literas ad te nunquam habui cui darem, quin dederim. A te, ut idem facias, peto, in primisque, ut ita ad tuos scribas, ut me tuum sentiant esse. Vale.

*a Qui, dum nullus hospes in Syria fuit, pedem porra non extulit. ad Ast. lib. 6. ep. 8.*

ARG. locatur, quia Cornificius Sinuessana villa hospitio uti noluerat: & crebras ab eo literas petit.

Cicero s. D. Cornificio collegæ. 20

GRATÆ mihi tuæ literæ, nisi quod Sinuessanum diuersoriorum contempsisti. Quam quidem contumeliam villa pusilla iniquo animo feret, nisi in Cumano, & Pompeiano reddideris *πῆντε ἀπὸ πῆντων*. Sic igitur facies meque amabis, & scripto aliquo laceffes. Ego enim respondere facilius possum, quam prouocare. Quod si, ut a es, cessabis laceffam: nec tua ignauia etiam b inertiam afferet. Plura otiosus hæc, quum essem in senatu, exaravi. Vale.

a Eodem modo locutus est, ep. 17. lib. 15.

b Quæ tua consuetudo est. Ep. 10. lib. 8.

AGR. Commendat Anicium, eiusque negotia, & dignitatem.

Commendatoria.

Cicero s. D. Cornificio.

21

CANICIVS, familiaris meus, vir omnibus rebus ornatus, negotiorum suorum causa legatus est in Africam a legatione libera: eum, velim, rebus omnibus adiuues operamque des, ut quam commodissime sua negotia conficiat. In primisque, quod ei carissimum est, dignitatem eius tibi commendo, idque à te peto, quod ipse in prouincia facere sum solitus non rogatus, ut omnibus senatoribus lictores darem: quod idem acceperam, & cognoueram, à summis viris factitatum. hoc igitur mi Cornifici facies: cæterisque rebus omnibus eius dignitatis,

a Quæ senatoribus ad sua negotia proficiscentibus concedebatur. ad Att. lib. 2. ep. 18. & ep. 12. lib. 15.

tati, rei que, si me amas, consules, id erit mihi gratissimum. Da operam ut valeas.

ARG. Narrat de statu reip. post Cesaris mortem: hortaturque Cornificium, ut provinciam retineat potestate reip.

Narratoria & hortatoria.

Cicero s. D. Cornificio.

22

NOS hic cum homine gladiatore omnium nequissimo, a collega nostro, Antonio bellum gerimus, sed non pari conditione, contra arma verbis. At etiam de te concionatur: nec impunè: nam sentiet, quos laesserit. Ego autem acta ad te omnia arbitror perscribi ab aliis: à me futura debes cognoscere: quorum quidem non est difficilis coniectura. Oppressa omnia sunt: nec habent ducem boni: nostrique *τοκτόνοι* b longè gentium absunt. Pansa & len- tit bene, & loquitur fortiter. Hirtius noster tardius c conualescit. Quid futurum sit, planè nescio. Spes tamen vna est, aliquando populum R. maiorem d similem fore. Ego certè Reip. non deoto: &, quicquid acciderit, à quo mea culpa absit, animo forti feram. Illud profectò, quoad potero, tuam famam, & dignitatem tuebor. Ad XIII. Cal. Ian. senatus frequens mihi est assensus, dum, de cæteris rebus magnis, & necessariis, tum de e provinciis ab iis, qui obtinerent, retinendis, neque cuiquam tradendis, nisi qui ex S. C. successisset. hoc ego quum Reip. causa censui, tum mehercule in primis retinendæ dignitatis tuæ. Quamobrem te amoris nostri

a Collega in auguratu. Philip. 2. ad Att. & huc epist. 14. lib. 8.

b Brutus in Gracia, Cassius in Syria. c Philip. 14. d In tuenda libertate.

e Infrà, ep. 29. Ne validior fieret Antonius, provinciam nactus aliquam.

causa rogo, reip. causa hortor, vt ne cui quicquam iuris in tua prouincia esse patiare, atque vt omnia referas ad dignitatem, qua nihil potest esse præstantius. Verè tecum agam, vt necessitudo nostra postulat: in Sempronio, si meis literis obtemperasses, maximam ab omnibus laudem adeptus esses. Sed illud & præterit, & leuius est. hæc magna res est. Fac vt prouinciam retineas in potestate reip. Plura scripsissem, nisi tui festinarent: itaque Cherippo nostro me velim a excuses. Vale.

a Quod ei non  
describo.

ARG. Primum respondet ad ea, quæ de prouincia Cornificij à Stratorio cognouerat: deinde quasi formam reip. mittit: & Philosophiam laudat.

Narratoria & Hortatoria.

Cicero s. D. Cornificio.

23

a Puto, Stratorius, ex Festo in Lacus Lyncrinus.

b Velleius lib. Plut. Suet. Dio. Seneca in lib. de clementia.

c Credunt Octavianum infidias Antonio struxisse.

OMNEM conditionem imperij tui, statumque prouinciæ mihi demonstrat a Stratorio. O multa intolerabilia locis omnibus. Sed, quò tua maior dignitas, eò, quæ tibi acciderunt, minus ferenda. Neque enim, quæ tu propter magnitudinem & animi, & ingenij moderatè fers, à te non vliscenda sunt, etiam si non sint dolenda. Sed hæc posterius. Rerum urbanarum acta tibi mitti certo scio, quòd ni ita putarem, ipse perscriberem, in primisque Cæsaris Octauiani conatum: de quo multitudinib; fictum ab Antonio crimen videtur, vt in pecuniam adolescentis impetum faceret. Prudentes autem, & boni viri & c credunt factum, & probant. Quid quæris? magna spes est in eo, nihil est, quòd non existimetur laudis, & glo-

& gloria causa facturus. Antonius autem, no-  
 ster familiaris, tanto se odio esse intelligit, vt,  
 quum interfectores suos domi comprehendere-  
 rit, rem proferre non audeat. Ad VIII. id. Oct.  
 Brundisium venerat, profectus obviam le-  
 gionibus a Macedonicis quatuor: quas sibi  
 conciliare pecunia cogitabat, easque ad vr-  
 bem adducere, & in b ceruicibus nostris col-  
 locare. Habes formam reipub. si in castris po-  
 test esse respubl. in qua tuam vicem sæpe do-  
 leo, quod nullam partem per ætatem sanæ &  
 salutis reip. gustare potuisti. Atque ante hac  
 quidem sperare saltem licebat, nunc etiam il-  
 lud ereptum est. Quæ enim spes est, quum in  
 concione dicere ausus sit Antonius, Canu-  
 tium apud eos locum sibi quærere, quibus, se  
 salvo, locus in ciuitate esse non posset? Equi-  
 dem & hæc, & omnia, quæ homini accidere  
 possunt, sic fero, vt magnam habeam philoso-  
 phiæ gratiam, quæ me non modò à sollicitudi-  
 ne abducit, sed etiam contra omnes fortunæ  
 impetus armat. tibi que idem censeo faciun-  
 dum, nec, à quo culpa absit, quicquam in ma-  
 lis numerandum. Sed hæc tu melius, Strato-  
 rium nostrum cum semper probassem, tum  
 maximè in tuis rebus summam eius fidem,  
 diligentiam, prudentiamque cognoui. Da ope-  
 ram, vt valeas: hoc mihi gratius facere nihil  
 potes.

ARG. Hortatur Cornificium, vt omni cura in  
 temp. incumbat. scribit de legatis ad Antonium à se-  
 natu missis. Pinarum commendat.

Hortatoria, Narratoria, Commendatoria.

Ec 2

Ex Macedonia  
 profectus.  
 b Armis op-  
 primere liber-  
 tatem cogita-  
 bat: sed eum  
 duas legiones,  
 Martia &  
 quarta, sequi  
 noluerunt, se-  
 que O. Faui-  
 no tradide-  
 runt vide Phi-  
 lip. 3. Vell. lib. 2.

Statorius à  
 Festo nomina-  
 tur in verbo  
 Lacus.

Cicero s. d. Cornificio.

24

**E**GO nullum locum prætermitto (nec enim debeo) non modò laudandi tui, sed ne or-  
nandi quidem. sed mea studia erga te, & offi-  
cia malo tibi ex tuorum literis, quam ex meis,  
esse nota. Te tamen hortor, vt omni cura in  
remp. incumbas, hoc est animi, hoc est ingenij  
tui, hoc eius spei, quam habere debes amplifi-  
candæ dignitatis tuæ. Sed hac de re alias ad te  
pluribus. quum enim hæc scribebam, in expe-  
ctatione erant omnia, nondum a legati redie-  
rant, quos senatus non ad pacem deprecand-  
um, sed ad bellum denuntiandum miserat,  
nisi legatorum nuntio *b* paruisset. Ego ta-  
men, vt primùm occasio data est, meo pristino  
more Remp. defendi: me principem Sena-  
tui, populoque R. professus sum: nec, postea-  
quam suscepi causam libertatis, minimum  
tempus amisi tuendæ salutis, libertatisq; com-  
munis. Sed hæc quoque te ex aliis malo. *T.*  
*c* Pinarium familiarissimum meum, tanto tibi  
studio commendo, vt maiore non possim: cui-  
quum propter omnes virtutes, tum etiam pro-  
pter studia communia sum amicissimus. Is pro-  
curat rationes, negotiaque Dionysij nostri,  
quem & tu multum amas, & ego omnium plu-  
rimum. Ea tibi ego non debeo commendare,  
sed commendo tamen. Facis igitur, vt ex Pi-  
narij, gratissimi hominis, literis tuum & erga  
illum, & erga Dionysium studium perspicias.  
Vale.

*a Philippus & Piso, ep. 4. li. 12.*

*b Vt Mutina obsidionem relinqueret.*

*c Antiquissima familia, ante urbem conditam. Livius lib.*

*ARG. Scribit, ex literis Cornificij S. C. esse factum: horta-*

hortatur ut reip. causam amplectatur: Luceio se nullo re defuturum pollicetur.

Narratoria, Hortatoria.

Cicero s. d. Cornificio. 23

**L**IBERALIBVS literas accepi tuas, quas mihi Cornificius a altero vicesimo die, ut dicebat, reddidit. Eo die non fuit senatus, neque postero. Quinquatribus, frequenti senatu, causam tum egi, non inuita Minerua. Etenim eo ipso die senatus decreuit, ut Minerua nostra, custos vrbis, quam turba b deiecerat, restitueretur. Pansa tuas literas recitauit. Magna senatus approbatio consequuta est cum summo gaudio, & offensione Minotauri, id est Clauisij & Tauri. Factum de te S. C. honorificum. Postulabatur ut etiam illi notarentur: sed Pansa clementior. Ego, mi Cornifici, que die primùm in spem libertatis ingressus sum, & cunctantibus cæteris, ad XIII. Calend. Ian. fundamenta reip. ieci, eo ipso die prouidi multum, atque habui rationem dignitatus. Mihi enim est assensus senatus de obtinendis c prouinciis. nec verò postea destitit labefactare eum, qui summa cum tua iniuria, contumeliaque reip. prouinciam d absens obtinebat. Itaque crebras, vel potius quotidianas compellationes meas non tulit, seque in urbem recepit inuitus, neque solùm spe, sed certa re iam, & possessione derurbatus est. Meo iustissimo, honestissimoque conuitio te tuam dignitatem summa tua virtute tenuisse, prouinciarque honoribus amplissimis affectum, vehem-

a Secundo post vicesimum.

b Quod Tullij mortem portendit. Dio, & Obsequens.

Sic in libro Sargonij, alter eiusdem liber, & meus habent, clauis de Caluifso Philip. 3.

c Suprà, ep. 22.

d Quum ad urbem esset imperio: reuertit autem in urbem, deposito imperio.

menter gaudeo. Quòd te mihi de Sempronio purgas, accipio excusationem: fuit enim illud quoddam Græcum tempus seruitutis. Ego, tuorum consiliorum autor, dignitatisque fautor, iratus temporibus, in *a* Græciam desperata libertate, rapiebar, quum me Etesia, quasi boni ciues, relinquentem temp. profèqui noluerunt. Austerque aduersus maximo flatu me ad tribules tuos *b* Rhegium retulit: atque inde ventis, remisque in patriam omnifestinatione properaui, postridieque in summa reliquorum seruitute liber vnus fui: sic sum in Antonium inuectus, vt ille non ferret, omnemque suum vinolentum furorem in me vnum effunderet, meque quum elicere vellet ad cædis causam, tum tentaret insidiis: quem ego rufstantem, & nauseantem conieci in Cæsaris Octauiani plagas. Puer enim egregius præsidium sibi primum, & nobis, deinde *c* summæ reip. comparauit: qui nisi fuisset, Antonij reditus à Brundisio pestis patriæ fuisset. Quæ deinceps acta sint, scire te arbitror. sed redeamus. ad illud, vnde diuertimus. Accipio excusationem tuam de Sempronio. neque enim statuti quid in tanta perturbatione habere potuisti. Nunc hic dies aliam vitam affert, alios mores postulat, vt *d* ait Terentius, Quamobrem, mi Quinte, conscende nobiscum, & quidem ad puppim. vna nauis est iam bonorum omnium: quam quidem, nos damus operam, vt rectam teneamus, vtinam prospero cursu: sed, quicumque venti erunt, ars nostra certè non aberit. Quid enim præstare aliud virtus potest? Tu fac vt animo magno sis, &

*a* Vide ep. 1. l. 10.  
& Philip. 1. &  
lib. 3. de off.

*b* Vide Rhegienses suffragium in tribu Roma tulisse. municipes enim, erant, legis Julia beneficii ciuitatem adepti.

*c* Substantiuum vt alibi.

In Andria.

sis, & excelsò, cogite: que omnem dignitatem  
tūam cum rep. coniunctam esse debere. P. a Lu-  
ceium mihi meum commendas, quem qui-  
buscunque rebus potero, diligenter tuebor,  
Hirtium quidem, & Pansa, collegas nostros,  
homines in consulatu reip. salutates, alieno  
sanè tempore amissimus, rep. Antoniano qui-  
dem latrocinio liberata, sed nondum omnino  
explicata: quam nos, si licebit, more nostro  
tuebimur: quanquam admodum sumus iam  
defatigati: sed NVLLA lassitudo impedire of-  
ficium, & fidem debet. Verum hæc hæc hactenus,  
ab aliis te de me, quàm à meipso, malo cogno-  
scere. De te audiebamus ea, quæ maximè  
vellemus. De Cn. Minutio, quem tu quibus-  
dam literis ad cælum laudibus extulisti, ru-  
morès duriores erant. Id quale sit omninoque  
quid istic agatur, facias me velim certiozem.  
Vale.

*a Necessè est,  
initium esse  
epistola. hæc  
enim scripta  
sunt mortuo  
Pansa, supe-  
riora viuo.*

*ARG. Heredes Turij commendas.*

*Commendatoria.*

Cicero s. D. Cornificio. 26

**Q**TVIRIVS, qui in Africa negotiatus est,  
vir bonus, & a honestus, hæredes fecit si-  
miles sui Cn. Saturnium, Sex. Aufidium, C.  
Anneium, Q. Confidium Gallum, L. Seruili-  
um Postumum, C. Rubellinum. Ex eorum ora-  
tione intellexi, gratiarum actione eos ma-  
gis egere quàm commendatione. Tanta enim  
liberalitate se tua vsos prædicabant, vt iis  
plus à te tributum intelligerem, quàm ego au-  
derè te rogare. Audebo tamen: scio enim quan-

*a Curius, habet  
Sigonij liber.  
Refertur ad  
honestatem fa-  
milia, non ad  
ipsius mores.*

a Liberti no-  
men retine-  
bant, quod in  
servitute ha-  
buerant.  
b Qui magi-  
stratus gesse-  
runt, aut cla-  
ru parentibus  
nati sunt, à  
nobilitate lau-  
dantur: cate-  
ris, ut equiti-  
bus Romanis,  
splendor non  
nobilitas, tri-  
buitur: quo si-  
gnificatur spe-  
cies illa, quam  
rei familiaris  
copia, & qua-  
dam in omni  
re liberalis ani-  
mi significatio  
gignit. vide  
splendorem e-  
quiti-  
bus R.  
erriuntum, ep. 3.  
t. 1. & hic epi-  
stola sequenti.

tum ponderis mea commendatio sit habita-  
ra. Quare à te peto, vt ad eam liberalitatem,  
qua sine meis literis vsus es, quam maximus  
his literis cumulus accedat. Caput autem est  
meæ commendationis, ne patiari a Ero-  
tem Turium, Q. Turij libertum, vt adhuc fe-  
cit, hæreditatem Turianam auertere: cæterif-  
que omnibus rebus habeas eos à me com-  
mendatissimos. Magnam ex eorum b splen-  
dore, & obseruantia capies voluptatem. Quod  
vt velia, te vehementer etiam atque etiam ro-  
go. Vale.

ARG. Aufidij equitis R. Africana negotia com-  
mendat.

Commendatoria.

Cicero s. D. Cornificio.

27

SEX. Aufidius & obseruantia, qua me co-  
lit accedit ad proximos: & splendore, equi-  
ti Romano nemini cedit. Est autem ita tem-  
peratis, moderatisque moribus, vt summa  
seueritas summa cum humanitate iungatur.  
Cuius tibi negotia, quæ sunt in Africa, ita com-  
mendo, vt maiore studio, magisque ex animo  
commendare non possim. Pergratum mihi fe-  
ceris, si dederis operam, vt is intelligat meas  
apud te literas maximum pondus habuisse.  
Hoc te vehementer, mi Cornifici, rogo. Vale.

ARG. Cornifici factum non probat, quia non anim-  
aduertat in quosdam Lilybaeo manantes, studium in  
remp. laudat. de omittenda gratiarum actione assen-  
titur. addit de pecunia, & de rep.

Repre-

Reprehenforia, Monitoria.

Cicero s. D. Cornificio. 28

**A**SSENTIOR tibi, eos, quos scribis Lily-  
bzo minari, istic pœnas dare debuisse: sed  
metuisti, vt ais, ne nimis liber in vlciscendo vi-  
derere. Metuisti igitur, ne grauis ciuis, ne ni-  
mis fortis, ne nimiste dignus viderere. Quod  
societatem reip. conseruandæ, tibi mecum à  
patre acceptam, renouas, gratum est: quæ so-  
cietas inter nos semper, mi Cornifici, mane-  
bit. Gratum etiam illud, quod mihi tuo no-  
mine gratias agendas non putas. nec enim  
id inter nos facere debemus. Senatus sæpius  
pro dignitate tua appellaretur, si a absentibus  
consulibus vnquam, nisi ad rem nouam,  
cogeretur. Itaque nec de H. S. XX. nec de H. S.  
DCC. quicquam agi nunc per senatum potest.  
Tibi autem b ex S. C. imperandum, mutuum-  
que sumendum censeo. In rep. quid agatur,  
credo te ex eorum literis cognoscere, qui ad te  
acta debent perscribere. Ego sum spe bona,  
consilio, cura, labore non desum: omnibus ini-  
micis reip. esse me acerrimum hostem præ me  
fero. Res neque nunc difficili loco mihi vide-  
tur esse: & fuisset facillimo, si culpa à quibus-  
dam abfuisset. Vale.

*Cornificij cle-  
mentiam in  
malos ciues  
non laudat.*

*a Profectis  
Mutinam ad  
Brutum libe-  
randum.*

*b Quoniam  
tibi S. C. impe-  
rium est da-  
tum, potes mu-  
tuam sumere  
pecuniam.*

**A**R G. Commendat studiosè L. Alij Lamia nego-  
tia eumq; suspectum Cornificio, quasi affuisset cui dam  
S. C. contra dignitatem eius, excusat.

Purgatoria, Commendatoria.

Cicero s. D. Cornificio.

29

**N**ON modò tibi, cui omnia nostra notissima sunt, sed neminem in populo R. arbitrator esse, cui sit ignota ea familiaritas quæ mihi cum L. a Lamia est. Etenim magno theatro spectata est tum, quum est ab A. Gabinio C. O. S. b relegatus, quòd libere & fortiter salutem meam defendisset. Nec ex eo amor inter nos natus est: sed quòd erat vetus & magnus, propterea nullum periculum pro me adire dubitavit. Ad hæc officia, vel c merita potius iocundissima consuetudo accedit, ut nullo profus plus homine delecter. Non puto te iam expectare, quibus eum tibi verbis commendem: causam enim tantæ amoris intelligis. quæ verba desideret, iis me omnibus usum putato. Tantum velim existimes, si negotia Lamia, procuratores, libertos, d familiam quibuscunque rebus opus erit, defenderis, gratius mihi futurum, quàm si ea tua liberalitas pertinisset ad rem familiarem meam. Nec dubito, quin sine mea commendatione, quod tuum est iudicium de hominibus, ipsius Lamia causa studiosè omnia facturussis: quamquam erat nobis dictum, te existimare, alicui S. C. quod contra dignitatem tuam fieret, scribendo Lamiam e affuisse: qui omnino consulis illis nunquam affuit scribendo. deinde omnia tum falsa S. C. deferebantur. Nisi forte etiam illi f Semproniano S. C. me censes affuisse, qui ne Romæ quidem tum fui, ut de eo ad te scripsi te recenti. Sed hæc hastenus. Te, mi Cornifici, etiam atq; etiam rogo, ut omnia Lamia ne-

a Vide orationem pro Sextio.

b Quo tempore ordinis equestris princeps erat. nunc senator erat. epist. 16. lib. 11.

c Ep. 17. lib. 11.

d Servos, vide ep. 7. l. 1.

e Ergo senator erat.

f Suprà, epist. 25. bñ.

mix negotia, mea putes esse: curesque, vt intelligat hanc commendationem maximo sibi vsui fuisse. Hoc mihi gratius facere nihil potes. Cura vt valeas.

ARG. *Officium literarum requirenti Cornificio se purgat. scribit de bello Antoniano renouato, de suo studio in amicitia colenda, aliisq; de rebus.*

• Purgatoria, Narratoria.

Cicero s. d. Cornificio. 30

ITANE? præter litigatores, nemo ad te meas literas? multæ istæ quidem. tu enim perfecisti, vt nemo sine literis meis tibi se commendatum putaret. Sed quis vnquam tuorum mihi dixit esse, cui darem, quin dederim? aut quid mihi iocundius, quàm, quum coràm tecum loqui non possim, aut scribere ad te, aut tuas legere literas? illud magis mihi solet esse molestum, tantis me impediri occupationibus, vt ad scribendi meo arbitratu facultas nulla detur. Non enim te epistolis, sed a voluminibus la cesserem, quibus quidē me à te prouocari oporteret. Quamuis enim occupatus sis, otij tamen plus habes: aut, si ne tu quidem *b* vacas, noli impudens esse, *c* nec mihi molestiam exhibere, & à me literas crebriores, quum tu mihi raras, mittas, flagitare. Nam quum antea distinebat maximis occupationibus propterea quòd omnibus curis temp. mihi tuendam putabam: tum hoc tempore multò distineor vehementius. Vt enim grauius ægrotant ij, qui, quum leuati morbo viderentur, in eum de integro inciderunt: sic vehementius nos la-

a *Epist. 7. lib. 30.*

b *Ep. 2. lib. 8.*

c *Vide ex verbo, Noli, affirmationem elici. sic loquitur & Horat.*

*a Sic Tusc. s. dixit, Quæstio profigata, & penè ad exitum adducta.*

*b Facere impensam, ep. 2. l. 14.*

*c Pansa & Hirtio, supra, ep. 21.*

*d Quod impostum non erat post deuictam à Paulo Macedoniam. vide Cic. lib. 2. de off. & Pl. lib. 33. c. 3. & Plutarchum in Paulo.*

boramus, qui, *a* profigato bello, ac penè sublato, renouatum bellum gerere conamur. Sed hæc hæc hactenus. Tu tibi, mi Cornifici, fac vt perfigadeas, non esse me tam imbecillo animo, ne dicam inhumano, vt à te vinci possim aut officiis, aut amore. Non dubitabam equidem: veruntamen multò mihi notiore[m] amorem tuum effecit Cherippus. O hominem semper illum quidem mihi aptum, nunc verò etiam suauem. Vultus mehercule tuos mihi expressit omnes non solum animum, ac verba pertulit. Itaque noli vereri, ne tibi succensuerim, quòd eodem exemplo ad me, quo ad cæteros. Requisiui equidem proprias ad me vnum à te literas, sed neque vehementer, & amanter. De sumtu, quem te in rem militarem *b* facere & fecisse dicis, nihil sanè possum tibi opitulari: propterea quòd & orbus senatus, *c* consulibus amissis, & incredibiles angustie pecuniæ publicæ: quæ conquiritur vndiq; vt optimè meritis militibus promissa soluantur: quòd quidem fieri sine *d* tributo posse non arbitror. De Attio Dionysio nihil puto esse, quoniam mihi nihil dixit Stratorius. De P. Luceio, nihil tibi concedo, quo studiosior eius sis, quàm ego sum. Est enim nobis necessarius. Sed à magistris, quum contenderem de proferendo die, probauerunt mihi, sese, quominus id facerent, & compromisso, & iureiurando impediri. quare veniendum arbitror Luceio. Quanquam, si meis literis obtemperauit, quum tu hæc leges, illum Romæ esse oportebit. Cæteris de rebus maximeque de pecunia, quum Pansæ mortem ignorares, scripsisti quæ per nos ab eo consequi te pos-

te posse arbitrare. Quæ te non fefellissent,  
 si viueret. nam te diligebat. Post mortem au-  
 tem eius quid fieri posset, non videbamus. De  
 Venuleio, Latino, Horatio, valde laudo. illud  
 non nimium probo, quòd scribis, quòd illi ani-  
 mo æquiore ferrent, te tuis etiam legatis listo-  
 res ademisse. *a* Honore enim digni cum igno-  
 minia dignis non erant comparandi: eos que  
 ex S. C. si non decedunt, cogendos, vt decedant,  
 existimo. Hæc ferè ad eas literas, quas eodem  
 exemplo binas accepi. De reliquo, velim ti-  
 bi persuadeas, non esse mihi meam di-  
 gnitatem tua cariorem.

*a In honore, in:  
 listoribus.*

Vale.

